



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1611. usque ad annum 1617

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1777

VD18 90118898

§. 43. Acrior contentio circa Pontificis Potestatem in Reges Franciæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67313](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67313)

Sæc. XVII. „hil obfuiſſet, promulgare & ſequi rem
 A. C. 1614. „Sacram: ſub addita enim clauſula man-
 „ſiſſent privilegia Galliæ, imbuebamur
 „Concilio Oecumenici doctrina puriſſima,
 „& ſi quid irrepſerat contra politicas
 „leges, aut privilegia Regni, explicari
 „fas erat, aut mutari, prout propone-
 „batur: non hæc Concilio, quod vo-
 „cant, eſſentialia, non hæc de fide:
 „parerga erant, citra neceſſitatem ad-
 „jecta, quæ nihil vetuit leniri, aut tol-
 „li penitus: quæ contra objiciebantur,
 „vana erant.

§. XLIII.

*Acrior contentio circa Pontificis Po-
teſtatem in Reges Franciæ.*

*Gram. l. c.
 Calmet l. 151.
 Serran.
 Franc. Hiſt.*

Rurſus quæſtio de ſummi Pontificis
 in Reges poteſtate ultro citroque
 cum ingenti animorum contentione
 agitabatur: Decernebantur perſæpe
 Cleri Oratores ad tertium Ordinem &
 a tertio Ordine ad Clerum: ſæpe etiam
 Aquenſis Archiepiſcopus, necnon Fe-
 nolietus Antiſtes Montpeſſulanus in ſuis
 ſermonibus querebantur, quod Plebæi
 Theologicarum rerum ignari improbe
 manum in meſſem alienam mittere præ-
 ſumerent, non poteſt, inquiebant illi,
 populus ſuam propoſitionem, qua ſummo
 Pontifici hanc poteſtatem denegant, pro ar-
 ticulo

titulo fidei valituram in acta sua referre, su-
torum ea ultra crepidam iudicia sunt: in-
consulto Cleri oraculo narrantur a populo
de fide fabulæ, quæstiones autem de fide ad
solum Clerum pertinent. His vero Mar-
miessæus Tolosanus nomine tertii Ordi-
nis, hæc reposuit: non ea tertio Or-
dini mens est, ut fidei præcepta distri-
buat: Clero competit Evangelii præ-
dicatio: Ast plura fidei insunt, quasi
parerga in dignitatem ipsius extrinse-
cam adinventæ: habebimus ea, quæ
de fide sunt, salva & intacta, intacta
autem fide possunt disciplina, jurisdic-
tio, & pleraque his similia attingi, quo-
rum aliqua quandoque diversis ab an-
tiquo usibus in prava degenerasse con-
stat. Plura equidem his addidit Ora-
tor, cui tamen Montpessulanus Anti-
stes paucis respondit, id ipsum nosse, an
propositæ quæstiones fidem non attin-
gant, negotium esse Ecclesiasticum a
laicorum foro alienum. Nihilominus
denuo prævaluit Clero populus, qui
*tanquam leges, ut vocabant *fundamen-**
tales, seu nunquam mutabiles stabiliri
petiit hæc tria.

I. *Sacrilegium esse, Reges, unctos Dei,*
quocumque prætextu occidere.

II. *Debitam uni Deo immediate Regum*
in subditos potestatem.

III. *Nullis Sedis Apostolicæ interdictis*
subja-

Sæc. XVII.
 A. C. 1614.

Sæc. XVII. *subjacere imperia Regum, subditosque nun-*
A.C. 1614. *quam exsolvi posse Sacramento fidei.*

Primæ huic assertioni assensit Ecclesiasticorum ac Nobilium Ordo, eamque Romanæ Ecclesiæ sententiam esse, semperque fuisse comprobatum reddebat Cardinalis Rupifacaldius, maxime ex novissima censura, qua condemnabatur Becani Jesuitæ liber, Regicidas impune in Regum capita provocans: Commendabat etiam Concilii Constantiensis decretum Sessione decima quinta promulgatum. Secundæ autem & tertiæ propositioni intercessere duo primi Ordines, Ecclesiasticorum & Nobilium: eas de fide esse negabant omnes, secundam quippe politicam, & si de Gallis regibus loquatur, veram, dubiam vero & plerumque falsam esse, si de Principum promiscue omnium in subditos potestate intelligeretur. Soli tamen laici ac plebæi importunius instabant, petentes, ut trinæ hæ leges ab omnibus Ordinum Deputatis, & deinceps a cunctis Beneficia vel Regni munia possidentibus jure jurando, appostoque chirographo & sigillo firmarentur: adversa autem opinio tanquam impia, abominanda, veritati, & Gallici Regni, quod immediate a solo Deo dependet, institutioni contraria damnetur.

§. XLIV.